

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6853

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Mézidon-Canon, Sainte-Barbe-en-Auge (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1156-1161]

Lieu d'émission : Rouen

Action juridique : confirmation générale

Langue du texte : latin

Analyse

Grande charte de confirmation des biens du prieuré de Sainte-Barbe-en-Auge.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CLXIX, t. 1, p. 297-301.

Dissertation critique

« Cette pièce, souscrite en France par le chancelier Thomas, est au plus tard de 1161 » : datation proposée par DELISLE/BERGER.

Texte établi d'après a

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, vicecomitibus, ministris, baillivis et omnibus fidelibus suis Francis et Anglicis totius Anglie et Normannie, salutem.

Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse ecclesie Sancti Martini et Sancte Barbare de Eschαιοlet et canonicis in eadem Deo servientibus in perpetuam elemosinam quicquid eis rationabiliter datum est, sicut carta regis H. avi mei et carta Rabelli camerarii et ceterorum donatorum suorum eis testantur, scilicet: ex dono Odonis Stig., terras et prata cum decima parrochie predicte ecclesie adjacentis et totius dominici sui, quod est apud Mansum Odonis tam in terris quam in vineis et molendinis et virgultis, et velleribus et vitulis et agnis et caseis et porcis et piscibus, et piscariam inter Mansum Odonis et Eschαιοlet. Ex dono Willelmi de Mirebel et Osmundi Boenot de Sacuanna decimas suas, quarum duas partes primitus retinebant. Terram etiam quam idem Odo habebat apud Sanctam Mariam Calidam cum media parte ecclesie et decime, ita libere sicut in dominio suo habebat. Ex dono Serlonis de Mansione Malg[is], terram quam apud Brolium de alodio suo habebat. Item ex dono predicti Odonis decimas telonei de Mansione Odonis ad luminare ecclesie, et terram Safredi Wambasarii et terram Anshetilli Baconis. In Constantiensi pago apud Seovillam terram cum decima unius molendini et cum decima villanorum ejusdem vici quam tenebat in suo dominio, et insuper oblationes capelle sue. Item ex dono Rabelli camerarii in Noinon totam terram quam habebat in suo dominio apud Mansum Odonis ultra Divam ex parte ejusdem ecclesie, et prata et londam propinquam, et hospitari burgenses in tota terra sua libere et quiete, exceptis burgensibus

residentibus in Manso Odonis. Moltam etiam suam et omnium hominum suorum et totius terre sue quietam, et locum in Diva ad faciendum molendinum, placitaque omnium hominum suorum libera in curia sua, ita quod si ipsi vel eorum homines querelam habuerint versus homines illius, in curia ipsorum teneri eam concessit, salvo sibi jure de suis hominibus sicut in curia sua ; et redcemiam vini sui ad cellarium suum, preter primam decimam, que solito more datur ad torcularia. Decimam etiam totius curedii sui apud tria maneria citra Secanam, scilicet apud Mansum Odonis et Oistreham et Thornum, et decimam dominici sui de Cadomo, exceptis IIIor solidis quos habet ibi Sanctus Georgius. Apud Sanctam Mariam Calidam terram quam Acelinus de Monasterio tenebat de illo ad firmam per unam minam frumenti, et campum de vinea. Apud Hoistreham unum bordarium, Hugonem scilicet de Gardino, et unam acram terre ex dono Roberti filii Alani, et libertatem quam eis concessit piscandi in aqua et licentiam capiendi lepores in warena sua propter infirmos et hospites, et quietationem omnium peccorum suorum in pastione sicut suorum dominicorum ubicumque habuerit, et unam virgatam terre in cultura sua pro escambio terre Safredi que fuit necessaria excludere molendini sui, et X. libratas terre quas eis dedit in Anglia in soca de Graham, scilicet apud Celesteord., C. solidos, apud Hocheston. et Summerdebi IIIor libras, et in molendino de Estoches XX. solidos ; in valle de Gloeestr., totum manerium de Becebef. et de Aissetona, unde nichil sibi retinuit nisi pro amore Dei tutelam et defensionem. Totum etiam manerium de Mainilgerolt cum pertinenciis suis, scilicet feodum de Huchemaine quod tenebat Ricardus de Altaribus, et feodum quod Fulco filius Teob[aldi] tenet in predicto manerio, excepta buxeria, ita libere sicut ipse Rabellus et pater suus et antecessores sui melius et liberius illud tenuerunt de antecessoribus meis, et precarias de ipsa buxeria, sicut semper pertinuerunt ad Mainilgerolt, et vivarium suum desuper Mansum Odonis et totum boscum suum de Sancta Maria Calida sine omni retinemento, et in Caletto capellam de Sancto Michaele quam tenuerat in suo dominio. Preterea quecumque predictae ecclesie a quocumque suorum hominum dabuntur vel venundabuntur vel escambientur, salvo jure domini nisi ultro concesserit. Pacem etiam factam inter canonicos et Adam de Maigneio de quadam terra quam Rabellus dederat super Divam versus Maigneium prefate ecclesie, ita ut dimidia remaneret in dominico canonicorum et dimidiam teneret Adam de ipsis in feodo per servitium prestandi unum equum bis in anno ad necessaria itinera eorum infra Normanniam et eundi ad placita eorum et alia negotia circa V. vel VII. leugas convenienter. Terram etiam quam Leza uxor Roberti de Albotot dedit predictae ecclesie et ipsi Roberto posuit super altare, et mansuram Ricardi Frechet cum terra sua, et eschambium quod factum est inter ipsos canonicos et Odonem Decanum cum filiis suis Thoma et Willelmo. Preterea ex dono Theoderici de Meinil Maug[is] capellariam suam de Meinil Maug[is] et totam tenuram Roberti de Hotot quam tenebat de eo. Ex dono Rogeri de Pilevilla libertatem capiendi terram in maresco de Pilevilla ad focum suum in perpetuum, sicut ad proprium focum ipsius Rabelli et ipsorum canonicorum, burgensibus libertatem eandem ut ibidem capiant terram ad focum suum sicut burgenses de Manso Odonis et Eschαιοleti quod fecit Hugo de Manso Odonis (?) cum predictis canonicis, scilicet per totam (?) terram suam quam habebat juxta viam versus Londam, pro qua ipsi dederunt Hugoni duas acras terre super Divam et dimidiam acram ad veterem calciatam subter Londam et XIII. solidos Sterlingorum et III. denarios. De dono Marie filie Herberti Freschet dimidiam acram terre. De dono Riculfi de Perceio unam virgatam terre ad Quadrariam. Ex dono Mathei Buscardi terram quam habebat inter boscum de Sancta Maria Calida et Cachechenvilla, scilicet Vallem Buscardi et Le Faiel et terram de Fonte Vulpis et totam tenuram Gaufr[idi] Gualdin cum toto redditu et serviciis liberam et quietam in perpetuum. Ex dono Anfride Dee unam virgatam terre super Divam. Ex dono Eremburgis comitisse dimidiam acram terre de burgagio sub Londa. De dono Willelmi filii Hugonis Lovel terram quam Gill[ebertus] Gallus tenebat de ipso, et unam acram terre apud Montem Boterel quam Fantelinus de ipso tenebat. Ex dono Thome filii Odonis Decani unam virgatam terre in Monte Decani pro patre suo. Ex dono Buscardi filii Bald. unam virgatam terre juxta pratium canonicorum. Preterea ex dono Willelmi Camerarii filii Rabelli dimidiam terram nemoris de Rahaia apud Colestevord. que fuit Willelmi Cithariste, et totam terram Basirie quam Rogerus presbiter de patre suo et de illo tenuit. Ex dono Radulfi de Insula acram et dimidiam terre cum linaria et domo quam Hugo presbiter tenebat de eo, et terram quam Rog[erus] presbiter de eo tenebat ad fossatum Timer, et III. virgatas que terminantur cum terra Gaufr[idi] de Mercato ad vallem, et dimidiam acram ad fossam Marleriam. De dono Roberti de Torno unam acram terre et III es virgatas. De dono Gaufr[idi] de Mercalo unam mansuram apud Tornum. Ex dono Gaufr[idi] filii Mabire et Reginaldi filii Anfride unam mansuram quam Reginaldus de Viana tenebat. De dono Willelmi de Monte Calvo apud Oistreham unam mansuram et unam acram terre. Ex dono Radulfi Corbet unam acram terre apud Tornum. Ex dono Gill[eberti] de Ebroicis et filiorum ejus, confirmatione Baiocensium episcoporum, Ricardi scilicet et Philippi, terram quam idem Gill[ebertus] et filii tenebant sui in Ageio sicut alodium suum de Sancte Marie feodo, et dimidium ecclesie ejusdem ville cum omnibus que ad eandem terram pertinent in molendino et hominibus et omnimodo redditu, liberam et quietam ab omni servitio et exactione. Ex dono Roberti Agnel decimas

quas dedit canonicis in parrochia de Can. Ex dono Roberti de Eschaiol decimam dimidii molendini apud Can. Ex dono Willelmi filii Mabire decimas quas tenebat apud Chetevillam ; et escambium quod factum est inter canonicos et Willelmum Lovel de terra Gilleberti Galli, et escambium quod factum est de terra Radulfi de Belismo que est super Divam. Ex dono Lucie filie Willelmi Camerarii in molendino de Scolvilla unum sextarium frumenti. Ex dono Rogeri filii Ricardi pasnagium omnino quietum in forestis suis de Orbec et de Benefacta. Ex dono Gualer[anni] com[itis] de Mell[ento], quitanciam de teloneo et passagio et omni consuetudine per totam terram suam. Preterea compositionem factam inter monachos Beccenses et predictos canonicos de decimis feodi Turulfi de Maigneo, quod est in parrochia de Maisnil Simont, que talis est quod monachi reddunt annuatim canonicis unum sextarium frumenti et duos sextarios avene, decima monachis remanente. Ex dono Willelmi de Olvilla ecclesiam de Olvilla cum omnibus pertinenciis suis. Ex dono Radulfi filii Serlonis et Willelmi filii sui dimidium ecclesie Sancte Marie Calide. Ex dono Gaufr[idi] filii Teoderici de Maisnil Maug[is] quicquid pertinet ad ecclesiam Sancti Stephani de Maisnil Maug[is], scilicet de feodo camerarii de Tan[carvilla] et de feodo Roberti de Monteforti totam tenuram Roberti de Hotot, et partem illam quam tenebat Willelmus Burg. missam (?), et illam quam tenebat magister Rogerus ; et ex dono Radulfi de Mesheldin elemosinam quam habebat in manu sua cum duabus acris terre et tribus virgatis ; et ex dono Willelmi Lovel in eadem ecclesia partem illam quam tenebat Robertus Tendepedem, et decimam dimidii molendini. Ex dono Philippi Baiocensis episcopi ecclesiam Sancti Laurencii de Montibus cum pertinenciis suis. Ex dono Willelmi Tanetin et Durandi de Diva apud Braium ecclesiam Sancti Albini cum capella et decimis cantarie et elemosinis ad eam pertinentibus. Ex dono Ricardi de Tornai et Gaufr[idi] filii sui capellam Sancti Benedicti juxta forestam de Gofer cum terris ad eam pertinentibus et decimam molendini sui ; et ex dono ejusdem Gaufr[idi] et Willelmi de Tornai capellam de Tertu cum omnibus pertinenciis suis. Ex dono Willelmi com[itis] de Pont[ivo] locum de Saltacocheria, et herbagium et pasnagium et omnem consuetudinem solutam et liberam. Ex dono Frogerii Sagiensis episcopi assensu Willelmi de Sola et Rogeri de Cumbrai ecclesiam de Esnes cum omnibus pertinenciis suis. Quare volo et firmiter precipio quod predicti canonici omnia hec predicta habeant et teneant bene et in pace et rationabiliter, libere et quiete, plenarie, integre et honorifice, cum omnibus pertinenciis suis, in bosco et plano, in pratis et pascuis, in aquis et molendinis, in vivariis et piscariis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus ad ea pertinentibus, sicut carta regis H. avi mei et carta Rabelli camerarii et ceterorum donatorum suorum carte testantur.

Testibus : Thoma cancellario et Ricardo de Humetis conestabulario, et Ricardo de Luci.

Apud Rothomagum.